

125

DE
HORATIO MUSICO
PRAEFATVS

AD
ORATIONEM
BENEFICIO RICHTERIANO
DESTINATAM
HUMANISSIME INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN, R.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXV.

Quam magna iampridem Q. HORATII Flacci fama fuit, tam iusta memoria vita illius est digna, quam strictim suis ipsius verbis exponemus. Natus Venusiae inter Lucaniam et Apuliam ad Ausfidium fluuium, a) consulibus L. Aurelio Cotta et Torquato Manlio, b) anni ab V. C. DCLXXXIX mense Decembri, c) patrem habuit libertinum, d) praeconeum et tributorum exactorem, e) eumque in opem, f) optimum tamen, et studiosissimum filii bene educandi, g) nutrice autem Sabella est usus. h) Statura fuit exigua, i) et vix bipedali, k) cetera pinguis et valens, l) sed lippus. ll) Praeceptorem nactus est Orbilius plagosum, m) quo duce Homeri Iliadem tractauit. n) Inde Athenas concessit, studia sublimiora exculturus, o) mox autem aestu belli ciuilibis abreptus, p) imperatoribus Bruto et Cassio, stipendia tribunus militaris meruit. q) Mox victus et in fugam coniectus r) ad otium et togam rediit. s) Amicos coluit Octauium t) Mecaenatem, u) Virgilium, w) Varium, x) Plotium, y) Fuscum, z) et complures alios. a) Vitam egit caelibem, b) frugalitatis studiosus, c) ad iram vero procliuus, d) Ex omni studiorum genere poesin imprimis amplexus est, e) et in philosophiae cultura nullius in verba iurauit. f) Nam licet aliquando Epicuraeorum sectae faueret, g) eidem tamen ad extremum dicam scripsit. h) Suetonio teste, annos septem et quinquaginta viuendo expleuit, moriturus autem Augustum ex asse heredem scripsit, qui exoniis in Esquiliiis amplum et magnificum funus fecit. Plura MASSONIUS dabit. *)

Huius igitur poetae quo excellentius ingenium fuit, eo illustriora specimina variae doctrinae ad posteritatem transmisit. Quid enim in philosophia, et nominatim morali praestiterit, CROVSZIVS, BEYKERVS, BERGERVS et IVNGERVS in libris singularibus demonstrarunt. Quantum in arte salutari praestiterit, PLATNERVS exposuit, i) et quam praeclare de rebus sacris et diuinis senserit, nuper ostensum fuit. k) Instar omnium autem cl. YOUNGIVS geniuam huius vatis indolem viuus veluti coloribus depingit his verbis, in sermone vernaculum conuersis: l) *Die Muse des Horaz ist so richtig, als gründlich und moralisch. Sie verbindet alle Lieblichkeit und Anmuth, alle Empfindung und alles Feuer in dem richtigsten Verhaeltnisse und Grade mit einander: und that noch eine glückliche Einkleidung dazu, die ihr ganz eigen ist. Sie unterscheidet sich noch ausserdem durch diese Seltenheit, dass sie einen Vberflus von verborgenen*

a) L. N. Od. IX. 2. b) L. III. Od. XXI. 1. c) L. I. Ep. XX. 26. d) L. I. Sat. VI. 45. e) l. c. 86. f) L. I. Ep. XX. 20. g) L. I. Sat. IV. 185. h) L. I. Sat. IX. 29. i) in vit. Hor. Lugd. 1708. j) L. I. Ep. XX. k) L. II. Sat. III. 309. l) L. I. Ep. IV. 15. ll) L. I. Sat. V. 49. m) L. II. Ep. I. 70. n) L. II. Ep. II. 41. o) l. c. 43. p) l. c. 47. q) L. I. Sat. VI. 48. r) L. II. Od. VII. 10. s) L. I. Od. XIV. 2. t) L. I. Sat. X. 82. u) L. I. Od. I. 1. 2. w) L. I. Sat. V. 40. x) l. c. 55. y) L. I. Sat. V. 40. z) L. I. Ep. X. 3. a) L. I. Sat. X. 85. sq. b) L. III. Od. VIII. 1. c) L. I. Sat. IV. 107. d) L. I. Od. XVI. 16. e) L. II. Ep. II. 52. 107. f) L. I. Ep. I. 14. g) L. I. Sat. V. 109. sqq. h) L. I. Od. XXXIV. 3. sqq. i) de morbo Campano Horatii. Lips. 1732. k) in Theol. Horatii. Freib. 1767. l) in der Abhandlung uiber die Lyrische Dichtkunst, welche deutsch uibersetzt zu lesen in der Sammlung gemischter Schriften zur Befoerderung der schoenen Wissenschaften, (Berlin 1759.) im II. Bande p. 214. sqq.

nen Annehmlichkeiten und geheimen Reizen hat, welche nur ein scharfes Auge entdecken kan. Und niemand ist im Stande, durch seine Meinung ihren Vortrefflichkeiten eine voellige Gerechtigkeit wiederfahren zu lassen, ohne der Welt zu gleicher Zeit eine unlacugbare Probe von der Verbesserung seines Verstandes zu geben.

Tantum vero abest, ut vereamur, ne meritis Horatii laudibus aliquid detrahatur, quum Horatium musicum hac tabula repraesentare constituimus, ut potius, non exiguum pondus illius existimationi additum iri, arbitremur. Vti enim in uniuersa litterarum cultura ars musica antiquissima fuit, et prisca aetate tantum venerationis habuit, ut eodem pretio sapientes, vates, et musici haberentur; ita extra omnem controuersiae aleam positum est, artem poeticaam et peritiam voce ac fidibus scienter canendi tam arcto vinculo copulari; ut nisi mutuaam sibi operam praesent, neutra officium suum pro eo, ac debet, exsequi possit. Quod ipse Horatius suo suffragio comprobatur, canens: m) *altera res alterius poscit opem et conspirat amice*. Nisi enim Orpheus et Arion, summi in arte cantandi artifices, utramque coniunxissent, nonquam eam famam sibi comparassent, qua in annalibus rerum publice gestarum celebrantur. Vnde VOSSIO teste, n) non pauci censuerunt, omnes poetas etiam artis musicae peritos fuisse. Quid? quod ipse HOMERVS o) cantores et poetas his in verbis coniungat:

- - - *ἔπειτα ἀγα σθεας*
ὄμιλος Μῦθ' ἐδάδαξε, Φίλησε δὲ Φυλον αἰοιδῶν. h. e. propterea, quod
 Musa, (poetarum praefes,) eos etiam cantum docuit. Poeta Anglus, COWEY
 vero hoc ex eo probat, quod saepe ars musica singularem carmini gratiam conciliat. p)

Prius quam vero progredimur, merito inquiritur, quo loco olim ars canendi apud Romanos fuerit? quorum in societate Horatius noster vitam agebat. Et negari quidem non potest, Romanos cultae musicae originem, uti ceterarum scientiarum, ad Graecos referre. Quamuis vero haec ars apud Romanos tanta dignitate non valeret, quanta laude apud Graecos florebat, quod vel solius Corn. Nepotis testimonio probatur, q) quia Romani eam grauitati suae iniquam, et omnem quaeustum ex cantandi studio factum pro sordido et illiberali habebant: r) nunquam tamen viri magni nominis desuerunt, qui animam ad eam artem adpellerent, et multum temporis illi impenderent; inter quos Appius Claudus, C. Gabinius, M. Caecilius, Licinius Crassus, et ipse Cato, seuerus ille morum censor, eminebant, quorum illi fidium concentu, hic vero vocis suauitate mirifice delectabantur. s) Et quum nostra aetate duo viri, rei musicae in primis gnari, IO. MATHESONIVS et I. A. SCHEIBIVS multa cum contentione de hoc argumento disputauerint, operam pretium me facturum existimo, si vtriusque sententiam in compendio repeti- vero. Et SCHEIBIVS quidem t) artis musicae exiguaam existimationem Ro-
 mae

m) in Art. poet. 411. n) de poematum cantu et viribus rhythmici, p. 97. o) Odyss. ①. 475. p) l. c. der Sammlung gemischter Schriften. p. 217. q) in Praefat. §. 1. et Epamin. c. I. 2. r) I. M. Heusingeri Diss. de studiis iuuentutis apud Romanos, nu. 2. s) Alex. ab Alex. L. II. c. 25. t) Crit. Mus. p. 14.

mae fuisse, adfermat, his imprimis rationibus permotus, quod ibi plurimi cantores et fidi:ines ferui fuerint, vel certe liberti, u) quod aliquando in vrbe Romana ne vnus quidem tibicen reperiretur, w) et quod Horatius cantoris et tibicinis, Tigellii, parum honorificam faciat mentionem. x) Ad quas obiectiones Mathesonius haec fere respondet: y) arti musicae Romae omnino iustum pretium statutum fuisse, ex eorum musicorum nominibus intelligi, qui operam Plauto et Terentio in scena praestiterunt, horum comoediis ad hunc usque diem sabiunctis. Quod autem ad Tigellium attinet, constare ait, illum eximia artis musicae scientia praeditum, non minus C. Caesari, dictatori, quam Cleopatrae familiare fuisse, Augusto vero ita placuisse, vt inter domesticos illius referretur. Horatium igitur, inuidia commotum, Tigellium hac calumniae macula adpersisse, quae indignatione augebatur, quod hic dixerat, Horatii carmina parum modulata neque ad cantum idonea esse. z) Et, si cum his ea comparamus, quae scriptores Romani hanc in sententiam adferunt, negari vix poterit, artem musicam Romae non minus excultam, quam iusto in pretio habitam fuisse. Adest testis OVIDIVS, his verbis: a)

Temporibus veterum tibicinis vsus auorum

Magnus, et in magno semper honore fuit.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,

Cantabat moesis tibia funeribus.

et QVINTILIANVS, b) gloria togae Romanae, hanc artem discipulis hac lege commendat: *prostitendum puto, non hanc à me praecipere Musicam, quae nunc in senis effeminata et impudicis modis fracta, non minima ex parte, si quid in notis virilis roboris manebat, excidit, sed qua laudes fortium canebantur, nec psalteria et spadicar, etiam virginibus probis recusandas, sed cognitionem rationis, quae ad mouendos leniendosque plurimum valet.*

Sed ad Horatium nostrum redeamus, eiusque carmina non modo ad cantum concinnata, verum etiam decantata fuisse, vel, vti Quintilianus loquitur, c) *fides ac tibias vocis modulationem adiunxisse*, pöetam autem cantandi peritia excelluisse, demonstremus. Quod quidem Mathesonius tam audacter negat, ut eius sententia veluti ex tripode dicta videatur. Mox enim, tanquam testis anritus adstitisset, pronuntiat: d) *Horaz hat keine seiner Oden selbst gesungen: mox vitio eidem vertit, quod versus suos non decantauerit: e) es wäre dem Horaz keine Schande gewesen, wenn er, als ein verlaufener Oberster, nach erwählten Hasenpanier, eine gute Stimme gehabt, und vor dem Fenster oder in Saale des Mecenas einige angenehme Oden selbst abgesungen hätte.* Cur vero non omnia carmina pöetae hoc honore digna censuerit, paucis interiectis hanc causam addit: f) *des Horazens Verse sind in vielen Stellen nicht musicalisch, und sonderlich ist die Laenge seiner Saetze und Gleichnisse unsingbar.*

Atenim:

u) Cicer. Orat. pro Mil. c. 21. w) Liv. L. IX. c. 30. x) L. I. Sat. 3. y) Beytr. zur crit. Histor. der deutschen Sprache. P. XXV. p. 8. fqq. z) Pompon. Porphyrius in Commentar. ad Horat. L. I Sat. II. 1. a) Fast. VI. 657. b) Institut. L. I. c. 10. c) L. XI. c. 3. d) Tresfeld. p. 53. e) l. c. p. 54. f) l. c. p. 72. 73.

Atenimvero licet concedamus, huius pœtæ Satyras atque Epistolas neque ad cantum adcommoatas, neque unquam decentatas fuisse: odas tamen et carmina lyrica et voce et fidibus inclaruiffe, non est, quod dubitemus. Vt enim carmina laudem Martis complectentia a Saliis sacerdotibus non modo componebantur, sed etiam decantabantur, g) imo primam occasionem ad pœsina lyricam subministrabant: h) ita de carminibus Horatii idem est sentiendum. Id quod ipsum Odae nomen, ab *œden*, h. e. cantando deriuatum, aperte testatur. Quam in sententiam G. E. MULLERVS recte indicat: i) *Oden waren gewisse kurze Gedichte, welche von den Dichtern nicht nur gesungen wurden, sondern zu deren Absingung man auch auf einen musicalischen Instrumente spielete. Vnd so erklart sie Horaz selbst: Musa dedit fidibus diuos et vina reserre.* k) Idem vero firmissimo testimonio res ipsa probat. Quisquis enim cum debita cura atque attentione lyrica Horatii carmina examinat, ea ad artis musicae praecepta ita conformata esse, sentit, ut ambo in aequalem laudis veniant societatem. Qui vero cantum ab odis illis separat, vita et spiritu easdem priuat. Et quis inficiabitur, nisi artis musicae prorsus expertus, in carminibus Horatii lyricis exquisitam syllabarum mensuram et concinnitatem mirificam inesse, nec quicquam eorum desiderari, quae ad concentus suauitatem requiruntur? Hoc ipse OVIDIVS admiratur, ita sentiens: l)

Detinuit nostras numerosus Horatius aures,

Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

In primis vero in carmine saeculari, quod deliberato consilio ad cantandi regulas adcommoatum fuit, singulos versus absolutum sensum efficere, videmus, quod iure ad cantus ornamenta refertur.

Quae quum ita sint, non est, quod miremur, varios viros cantandi peritos odas Horatianas ad normam et praecepta artis musicae et composuisse, et decantandas luci publicae exposuisse. Inter alios Marc. MEIBOMIVS in conspectu reginae Sueciae, Christinae, hoc tentauit, m) cuius liber de Musica veterum omnium suffragiis exceptus fuit, n) Idem de musico quodam in Gallia Petr. SORELLIVS narrat, o) Neque defuerunt recentiori aetate, qui singulares huius pœtæ Odas modulando exornarent. Namque in bibliotheca Monachiensis aliquot Horatii carmina ab insigni cantus artifice ORLANDO TASSO ad decantandum adcommoata adseruari, vir celeberrimus, et rerum singularium ruspitor solertissimus, BIANCONVS testatur, p) Et quum eques Angliae et pœta eximius, IO. DRYDEN, anno huius saeculi primo solemniter exequiarum pompa mandaretur, oda Horatiana, cuius initium est: *Exegi monumentum aere perennius*, etc. q) ad modulos musicos composita, maximo cum applausu decantabatur, r) Pari felicitate M. PAGNELLI, musices director in aula ducis Brunsvicensis

g) Festus p. 46.

h) Io. Cuthbertus de Saliis, Martis sacerdotibus *Franeqv.* 1708.

i) Historische und critische Einleitung in die alten latein. Schriftsteller. P. III. p. 437.

k) Art. Poet 82. l) Trist. L. IV El. o. m) Mattheson. Tresesp. p. 77. n) Auctores antiquae Musicae *Amsel.* 1652. in II Tom. 4. o) de la connoissance de bons livres. P. III. p. 244.

p) Sendschreiben an den Marchese Hercolani, im dritten Brief.

(Leipz. 1764.) q) L. III. Od. 30. r) Journal litteraire. 1740.

censis sex odas huius pœtæ ad cantum adcommodatas hereditario principi Gothano dedicauit, qui per chalcographum *Montoulay* anno MDCCXXXIX aeri easdem incidendas curauit. Porro anno MDCCLVIII. à cel. MARPVRGIO, in arte symphoniacâ Roscio, duas odas Horatii, scilicet vicissimam septimam et tricesimam ex libro primo ad cantus regulas felicissime conformatas esse, legimus. s) His iungi meretur BENNERVS, arti voce et fidibus canendi in aula Ser. principis Saxo-Gothani præfectus, qui Libri II. Odam XVII. modulandam composuit, et quæ communi suffragio cantorum excepta fuit. Idem cum oda libri secundi tertia cantor in oppido Schwarzenbergenfî, NIEMERVS, et TAGIVS, rei musicæ apud Hohenfleinenses moderator, cum Oda XIII. Libri III. haud inuita Minerva tentarunt.

At, missis tellimonis, foris petitis, ad domestica progredimur, ex ipsis pœtæ nostri libris probaturi, Horatium non solum arte musica mirifice delectatum, sed etiam illius egregie peritum fuisse. Iam enim eos, quos in cantus societatem adiciuerat, veluti præcentor et director musices adhortatur: t) *Lesbium seruate pedem meique pollicis ictum*. Quæ verba cel. I. P. ANCHERSEIVS u) ita explicat: vos pueri et puellæ, adcurate custodite numeros modosque lyrici carminis, et motum digitorum meorum sequimini, quibus ego neruus nunc percutio, nunc traho, iam se ipsum in exemplum boni musici proponit, his vsus verbis: w) *reddidi carmen docilis modorum*. Et, si quis adhuc dubitat, Horatium artem musicam calluisse, is quaeso hæc eius verba adcurata mentis trutina perpendat: *Laniam vates fidibus nouis et plectro Lesbio sacrat*: x) *verba loquor socianda chordis*: y) *disce modos, amanda voce quos reddas*: z) *luxi carmen æoliolum ad modos Italos*: a) *recinunt iuuenes dictata senesque*: b) *Musa dedit fidibus diuus et vinareferre*: c) *Musa lyrae potens*: d) *cantamus vacui*: e) *forti fistula valles et saxa personuere*: f) *opto senectam, cithara non carentem*: g) *lusti barbita vacuus sub umbra*: h) *fidibus placare deos iuuat*: i) *quaero modos leuiore plectro*: k) *bella ego non apto mollibus citharæ modis*: l) *ego sum ales canorus*: m) *Calliope, dic longum melos tibia*: n) *mea testudo est callida, septem neruis resonare*: o) *barbiton hic paries habebit*: p) *ego sum Romanæ fidicen lyrae*: q) *canam carmine Lydiæ tibiis remisso*: r) *carmen lyrae sonans, tibiis mistum*: s) *fleo amorem curua testudine*: t) *vocem cum cithara dedi*: u) *verba fidibus modulanda*: w) *fide Cyllenia pectora leuo*: x) *fidibus Latinis Thebanos modos aptare*: y) *carmina non sine fistula*: z) *verba lyrae sonitum motura*: a) *fidibus voces creuere sonoris*: b) *tibicen, qui Pythia cantat etc.* c)

Imo, qua fronte, Horatium artis musicæ ignarum fuisse, contendemus, qui diuersa cantus genera, e. g. Aeolium, d) Ionicum, e) Lydium, f) Dori-

s) vid. die Odenfammlung von verschiedenen Dichtern (*Berlin*). t) L. IV. 6. u) Oper. Horat. P. VI. p. 35. w) l. c. x) L. I. 26. y) L. IV. 9. z) L. IV. 11. a) L. III. 34. b) L. I. Ep. I. c) Art. P. 83. d) L. I. 6. e) l. c. f) L. I. 17. g) L. I. 31. h) L. I. 32. i) L. I. 36. k) L. II. 1. l) L. II. 12. m) L. II. 20. n) L. III. 4. o) L. III. 11. p) L. III. 4. q) L. IV. 3. r) L. IV. 5. s) Epod. 9. t) Epod. 14. u) L. I. 24. w) L. II. Ep. 29. x) Epod. 13. y) L. I. Ep. 3. z) L. IV. 1. a) L. II. Ep. 2. b) Art. P. 216. c) l. c. 414. d) L. IV. 3. e) L. III. 6. f) L. IV. 15.

tim, et barbarum, i. e. Phrygium, g) etc. cognita et perspecta habebat? de quibus FELLERVS copiose exposuit; h) qui eadem facultate *nunc voce acuta, nunc fidibus et cithara cantabat*; i) qui variorum instrumentorum musicorum naturam atque indolem nouerat, nominationi *tibiarum orichalco vinclarum, tubae aemularum, sed tenuium, et pauco foramine simplicium*; k) qui profert *tympana pulsa, quibus Thyades concitae utebantur*, l) et quae cum Berecynthio cornu coniungebantur, m) *tibiam acrem*, n) et *querulam*, o) *aera acuta, quae Corybantes gestabant*, p) *molles citharae modos*, q) et *carmina imbelli cithara diuidenda*, r) *lituos strepentes*, s) et *tubae sonum lituo permistum*, t) *testudinis strepitum temperandum*, u) *olim loquacis*, v) *fides Teias*, w) *barbiton bello desungentem*, x) *tibiam choris adesse utilem*, y) eamque vel Berecynthiam, z) vel Lydiam, a) de quibus cel. DES VIGNOLES singulari commentatione exposuit, b) *Musam lyrae solertem*, c) et *modo summa voce, modo eâ resonantem, quae est chordis in quatuor ima*, d) Quae et P. SANADON persequitur, e) et DES VIGNOLES his verbis illustrat: f) *les premiers instrumens des Grecs estoient nommes Tetrachordes, parce qu'ils estoient composés de quatre cordes, dont la premiere et la dernière, toujours fixes, formoient un Quarte, comme Si Mi, et Ni La, ou B. E. et B. A. de nos clavecins. Les deux cordes du milieu estoient différemment disposées, suiuant leurs trois genres de Musique, qu'ils appelloient diatonique, chromatique, et enharmonique. Dans le genre diatonique il y auoit un demi-ton seulement entre la premiere et la seconde corde, et un ton entier entre le seconde et la troisieme, de meme qu'entre la troisieme et la quatrieme. Dans la chromatique ils mettoient deux demi-tons de suite, et vne tierce mineure, qui vaut un ton et demi, etc.*

Neque Horatius varia genera variorumque fines artis musicae ignorauit, ostendens, quae poemata Tragicæ cantarent, g) quinam legitimum sonum digitis et aure callerent, h) quae verba sonum lyrae mouerent, i) quam luxuriam tibi-cines huic arti addiderint, k) quomodo verba fidibus sint modulanda, l) et ridet citharoedum, qui chorda semper oberrat eadem. m) Porro idem docet, aliam cantandi artem ad cultum diis praestandum adhibitum fuisse, quam *templis amicam* adpellat, n) et cuius insigne specimen in carmine saeculari exhibetur: aliam profanam, et ad saltationes adcommodatam, quum iunctae Nymphis Gratiae alterno pede terram quaterent, o) vel fossor ter pede illam pelleret, p) vel pueri carminibus tibiae et fistulis mixtis in morem Saliuum ter quaterent humum, q) quae carmina Saliaria eorumque originem OVIDIUS r) et MACROBIUS prolixè exponunt: s) aliam coniuualem, quae à poeta vocatur *Symphonia discors inter mensas*, t) vnde etiam *testudo* dicitur *diuitem mensis grata*: u) aliam vero ad luctum dicendum et excitandum, vbi amores flebantur testudine ad pedem

g) Epod. 10. h) in Rappolti commentar. Horat. p. 1347. i) L. III. 4. k) A. P. 202. l) L. III. 15. m) L. I. 18. n) L. I. 12. o) L. III. 7. p) L. I. 18. q) L. II. 12. r) L. I. 15. s) L. II. 1. t) L. I. 1. u) L. IV. 3. v) L. III. 11. w) L. I. 17. x) L. III. 26. y) A. P. 204. z) L. IV. 1. a) L. IV. 15. b) in Bibliothecae Germanicæ T. X. p. 133. et T. XI. p. 385. c) A. P. 407. d) L. I. Sat. 3. e) in Commentar. Horat. T. I. Dissert. de Tetrachordo. f) Remarques sur la Musique des anciens. p. 144. g) A. P. 277. h) l. c. 274. i) L. II. Ep. 3. k) A. P. 214. l) L. II. Ep. 2. m) A. P. 356. n) L. III. 1. o) L. I. 4. p) L. III. 18. q) L. IV. 1. r) Fast. III. 250. 280. s) Saturnal. L. I. c. 7. 199. t) A. P. 374. u) L. III. 11.

non elaboratum, w) vt naeniis manes placarentur; x) qui cantus lugubris nuncupabatur. y) Accedit, quod nosler pœta mirificus et plane stupendos musices effectus cognitos et perfectos haberet, cuius vi Amphion lapides canendo movit, z) Orpheus rapidos fluminum cursus moratus et ventos, fidibus canoris quercus aritas duxit, a) etc. et quod nihil magis in votis haberet, quam vt dii se agere finerent nec turpem senectam, nec cithara carentem. b)

Ad extremum non est, quod dubitemus, Horatium talem fuisse pœtam, quales alii antiquitus celebrabantur, qui non solum carmina conficiebant, sed etiam ad fidium concentum eadem modulabantur. Ita HOMERVS, disertis verbis c) testatur, HESIODVS autem ideo in certamine publico praemiis excidebat, quod artis musicæ expers fuerat. Quod PAVSANIAS his verbis exponit: d) λεγεται Ησιόδον ἀπελάσθηναι τὸ ἀγώνισματος, ἔκιδάριζεν ὁ μὲς τῆ ἀδῆ δεδιδαγμενον, h. e. Hesiodum narrari repulsam tulisse in certamine, quod non didicisset, vna cum cantu citharam pulsare.

Atque haec illi officio praemittenda videbantur, quod voluntas extrema viri post fata etiam colendi, IO. CHRISTOPH. RICHTERI, illi imperavit, qui legato ab se constituto tanquam viatico ornatur, quo instructus in scholam superiorem conferre se possit. Vti enim antiquitus vsu et consuetudine receptum videmus, vt actus publici et solennes à concentibus musicis incipiantur: ita nostro ab instituto alienum haud duximus, actum à Musarum fautore imperatum, cum Musarum dignitate et commendatione coniunctum, et à Musarum filiis perficiendum, ab argumento musico auspicari. Et quoniam, Nerone teste, e) *occultae musicae nullus est respectus*, h. e. egregiae ingenii atque animi dotes nihil profunt, nisi in lacem proferantur: ille iuuenis, qui parentibus quidem orbatus, sed dotibus ingenii et animi, quae ad studium sanctiorum litterarum adspirant, non priuatus, et qui adhuc *intus cecinit*, quod Cicero ait, f) postquam Amplissimi Dn. Inspectores gymnasii stipendium iam nominatum illi decreuerunt, neimpe

CHRISTIAN GOTTFR. WITTICH, *Freiberg.*

publico in confessu eorum, qui de litterarum studiis recte sentiunt, et quidem *de vsu et fructu litterarum elegantiorum in studio theologico*, sermone Latino vtens, perorabit. Quem ex schola discessurum piis votis prosequetur, qui familiae suae de republ. Freibergensi praeclare merenti nouum ornamentum pollicetur,

Fridr. Aug. Tzschokel, Freib.

versibus germanicis *singularia litterarum humaniorum ornamenta*, quibus ipse capitur, complexurus, et quod Horatius ait, g) dignum sermone canturus. Quo vero longius hi oratores à cantoribus Horatianis sunt diuersi, qui rogati cantare volebant, non rogati autem cauendi nullum fere finem faciebant; h) eo facilius beneuolam praesentiam PATRONORVM et FAVORVM cras, hora ante meridiem nona audita, sibi promittunt, quam nos tanto studio venerabimur, quanta contentione illam exoramus, haud nescientes, *plena theatra Musicos bene cantare docere*, i) et vbi, vt cum Horatio musico finiamus, *non deest in vacuo lactus sessor plausor* que theatro, k) P. P. Freibergae ad XVIII. Febr. A. R. G.

MDCCLXVIII.

w) Epod. 14. x) L. II. Ep. 1. y) L. I. 24. z) L. III. II. A. P. 394. a) L. I. 12. b) L. I. 31.
c) Iliad. Σ. 569. d) in Phocic. p. 323. e) Sueton. in Ner. c. 20. f) in Orat. in Verr.
I. 53. g) L. II. Sat. 2. h) L. I. Sat. 2. i) Plin. I. II. Ep. 20. l) Voss. I. II. Ep. 11.

Yb 627

22

ULB Halle
001 508 164




3

(811148)

TA-204

VD 18





125

DE
HORATIO MVSICO
PRAEFATVS

AD
ORATIONEM
BENEFICIO RICHTERIANO
DESTINATAM
HVMANISSIME INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXV.

